

VIII

IN ANVM LIBIDONOSAM

Iambicus

Rogāre longō pūtidam tē saeculō,
Vīrēs quid ēnervet meās ?
Cum sit tibī dēns āter, et rūgīs vetus
Frontem senectūs exāret ;
Hietque turpis inter āridās natēs
Pōdex, velut crūdae bovis.
Sed incitat mē pectus, et mammae putrēs,
Equīna quālēs ūbera ;
Venterque mollis, et femur tumentibus
Exīle sūrīs additum.
Estō beāta ; fūnus atque imāginēs
Dūcant Triumphālēs tuum ;
Nec sit marīta, quae rotundiōribus
Onusta bācīs ambulet.
Quid ? Quod libellī Stoicī inter Sēricōs
Iacēre pulvīllōs amant ?
Illitterātī num minus nervī rigent ?
Minusve languet fascinum ?
Quod ut superbō prōvocēs ab inguine,
Ōre allabōrandum est tibī.